

tandi ad ordines nostris suffraganeis quotiens casus extiterit. Nec non electos ad episcopatum confirmandi. et munus consecrationis ipsis episcopis electis confirmatis a nostris suffraganeis vel aliis catholicis Episcopis recipiendis et ipsis suffraganeis seu aliis episcopis consecrandi ipsos electos, confirmatos licentiam dandi et concedendi. et omnia et singula faciendi, que ad munus consecrationis episcoporum, seu ad benedictionem Abbatum spectant de consuetudine vel de iure. Et causas ipsarum electionum episcoporum et aliorum prelatorum, ad nos et nostram curiam spectantes tam de consuetudine quam de iure, audiendi cognoscendi examinandi, et fine debito terminandi. Et Ecclesiis cathedralibus vacantibus et aliis ecclesiis in casibus de iure ad nos spectantibus providendi et ordinandi primum quod tibi melius videbitur expedire. Nec non indulgentias concedendi in Consana provincia et diocesi, sicut nobis a iure promictitur concedimus potestatem. Contradictores quosdam et rebelles, etiam si episcopali prefulgerent dignitate, per censuram ecclesiasticam compescendo. Et omnia alia et singula faciendi et exigendi, que ad officium vicariatus in spiritualibus et temporalibus pertinent de consuetudine, vel de iure. et que ad officium et iurisdictionem nostram pertinent de consuetudine vel de iure. tibi vices nostras in spiritualibus et temporalibus plenarie commicentes. In cuius rei testimonium et certitudinem pleniorem, predicta per Robertum Iohannis Tucii de Viterbio publicum (1) Notarium scriba, et in publicam formam redigi fecimus, et nostri sigilli appensione iussimus communiri. Datum et Actum, apud Ecclesiam Sancte Marie ad gradus Viterbiensis in perferulo Camere secundi Claustrum dicte Ecclesie, presentibus religiosis viris fratre francisco de Montealto. fratre Gentile. fr. Matheo de Capilino. fr. Petro de Sancto peregrino. fr. Iacobo Senense de ordine predicatorum. Et Magistro Henrico Manfredi de Ebulo habitatore Conse, et Iacobo Guillelmi de pulcino testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis. sub anno domini Mille-simo Trecentesimo tertio, Indictione prima. die XXIV mensis Novembris. Pontificatus Sanctissimi Patris et domini domini Benedicti pp. XI. anno primo. Et ego Robertus Iohannis Tucii de Viterbio alme urbis prefecti auctoritate Notarii, predictis omnibus interfui, et ut supra legitur rogatus et de mandato dicti domini Archiepiscopi. et in hanc publicam formam redegi. meumque signum apposui consuetum. Cumque post hec mortuo bone memorie Religioso viro domino fratre Galvano Episcopo Ecclesie Montis Viridis, Ecclesie Consane suffraganeo, eiusque corpore honore quo decuit tradito Ecclesiastice Sepulture, omnes canonici ipsius Ecclesie Montis viridis in ipsam ecclesiam convenerint. et de futuri pastoris substitutione inter se habentes tractatum, ad electionem celebrandam futuri pastoris in ipsam ecclesiam, certum diem pro termino peremptorio, sibi unanimiter et concorditer prefixerunt. et die ipsa sic statuta, in ipsam ecclesiam Montis Viridis ut moris est omnes canonici ipsius ecclesie qui voluerint debuerint et potuerint convenerint in unum. et per viam scrutinii elegerint, ad electionem futuri Pastoris esse procedendum. et electis tribus de se ipsis scrutatoribus, eis dederunt potestatem et mandatum, quod primo sua, et deinde aliorum vota secreto et sigillatim scrutarentur. et illis fideliter in scriptis redactis, mox publicarent in communi. Qui huiusmodi potestatem et mandatum in se recipientes, et ipsius mandati fines

(1) È notevole in questo documento il *b* nella parola *publicum* che in generale nei documenti di questa epoca è *p*.